



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

Quæstio XIV. In Tit. XIV. de Consanguinitate & Affinitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

distinctione: si erat exprimendum de jure, vel stylo, seu consuetudine, auctoritate Principis C. secus, N. illatum. ad probat. & ad valorem gratiæ sufficere, quod adsit *legalis* voluntas Principis, hoc est, consensus in gratiam, ubi nihil omittitur eorum, quæ jure, vel usu debito exponi debent ad gratiæ impetrationem; & hæc non deficit, deficiente causâ finali, de cujus expressione jure vel usu debito non est cautum;

ergo. Unde colliges, alium esse stylum, seu usum, & consuetudinem Cancellariæ Apostolicæ, in scribendo quoad formas, & modum; alium Curia, *in judicando*; illum esse stabilem ac certum; istum vari-um, & incertum ex n. 1170. nec in alijs tribunalibus habendum pro jure, seu lege, nisi in his, in quibus inconcussus, seu invariatus est, atque firmatus, decisione, vel declaratione Papæ, ex n. cit.

QUÆSTIO XIV.

In Tit. XIV. de Consanguinitate & Affinitate.

§. I.

De Arbore Consanguinitatis.

Arbor Consanguinitatis nihil aliud est, 1178
quàm series, seu ordo personarum ex eodem sanguine descendendum, distinctus per lineas, & gradus, statuto prius stipite, seu radice, vel origine proximâ hujus conjunctionis. Per *lineam* autem intelligitur collectio personarum ab eodem stipite descendendum, gradus habens, & cognationem, seu propinquitatem earum distinguens: *stipes* autem dicitur ea persona, à quâ *proximè* descendunt illæ personæ, de quarum consanguinitate quaeritur; vel quæ est origo proxima, & principium, quod aliqui duo sint ejusdem sanguinis.

Supponendum autem 1. hanc arborem constare tribus lineis, seu triplici ordine, quo collocantur personæ sanguine junctæ. Ex his *prima* est *ascendentium*, in qua continentur personæ, à quibus nos originem duximus, ut pater, avus, proavus, & reliquæ personæ ascendentes; altera *descendentium*, in qua continentur personæ, quæ à nobis originem duxerunt, ut filij, filia, nepotes, neptes, pronepotes, proneptes, aliæque personæ descendentes in infinitum. Utraque simul vocatur *linea recta*: tertia demum est *obliqua* seu *transversalis & collateralis*, complectiturque personas, quæ nobis ex latere junctæ sunt, atque adeo eas, à quibus nos non duximus originem, nec illæ à nobis, & tamen ab una stirpe, unòque sanguine nobiscum propagatæ sunt; ut filij fratrum, fororum, patruus, amita, &c.

Supponendum 2. quod *linea collateralium* alia sit *æqualis*, continens personas, de quarum cognatione quaeritur, in æqua-
li gra-

Q9 2

li gra-

1176. Hoc titulo proponitur duplex impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, vel eo sancte contractum; primum est inter consanguineos; alterum inter affines. Consanguinitas, in verbis, quibus continentur impedimenta dirimentia, venit sub verbo *cognatio*, quæ vox ut dictum est n. 1087. supponit pro triplici cognatione spirituali, legali, & carnali, seu consanguinitate.

ARTICULUS I.

De Impedimento ex Consanguinitate.

1177. Antequam ad particulares quæstiones descendamus, supponendum, cognationem carnalem, seu *consanguinitatem*, esse vinculum, seu propinquitatem, & conjunctionem personarum ab eodem stipite proximo descendendum, carnali propagatione contractum; vel dic, esse *vinculum personarum, quæ propterea, quod ab eodem stipite oriuntur, sanguinis, & naturæ societate, junctæ sunt, ac propterea consanguinei dicuntur, quasi de uno, & communi sanguine nati, & propagati.* Ex hoc vides, etiam *illegitimos & spurios* venire appellatione *consanguineorum*; quia spectato jure naturali, etiam illi à communi ipsis, & legitimis, sanguine descendunt. Et ideo quoad matrimonij impedimentum, ac dispensationem super eo impetrandam, nullum discrimen est; sic Pyrrhus Corradus in *praxi dispens.* Apost. l. 7. c. 1. n. 6. quoniam autem hæc cognatio matrimonium inter consanguineos dirimit in *certis solum gradibus*, præmittimus brevem notitiam de arbore consanguinitatis, & terminis ad eam pertinentibus.

Tom. IV.

li gradu distantes à communi stipite, ut sunt duo fratres, frater, & foror &c. si autem unus altero distet pluribus gradibus (hoc est, si inter ipsum, & stipitem plures personæ medient, quàm inter alterum, & stipitem) sunt collaterales in *linea inæquali*; sic frater, à fororis, vel fratris filia distat inæqualiter. Hæc inæqualitas collateralium præcipuè attenditur in dispensationibus matrimonij propter dicenda q. 22. per *gradum* autem intelligitur quoddam intervallum, quo cognoscitur, quæ persona sit stipiti propinquior; & consequenter quantum inter se distent personæ, de quarum cognatione quaritur.

§. II.

De Regulis cognoscendi gradum consanguinitatis.

1181. Quando de duobus quaritur, in quo gradu consanguinitatis inter se conjuncti sint, ante omnia sciri debet eorum stipites, seu origo, & principium, à quo ambo per carnalem propagationem, mediatè, vel immediatè descendunt; nam sine hoc consanguinei non sunt. Deinde observandum, in qua linea collocentur? an in recta, nimirum ascendenti, descendenti? an in obliqua, seu transversali, eaque vel æquali, vel inæquali? quo posito: pro linea recta, seu descendente, & ascendente unica regula est in utroque jure, nimirum *tot esse gradus, quot personæ, unâ dempsâ*, nimirum stipite. Et ideo pater & filius, sunt in primo gradu; avus & nepos in secundo; proavus, & pronepos in tertio; abavus & abnepos in quarto gradu lineæ rectæ: pro linea obliqua, seu transversa, sed æquali, jure canonico hæc regula traditur, ut *collaterales in æquali linea transversa tot gradibus inter se distent, quot gradibus distant à communi stipite*. Et ideo frater & foror inter se distant uno gradu in linea transversa, quia à patre, & matre distant uno tantum gradu in linea recta: pro linea demum obliqua, seu transversa, sed inæquali hæc jure canonico regula est, ut *personæ talis lineæ tot gradibus inter se distent in linea transversa inæquali, quot gradibus persona remotior distat à communi stipite*. Hinc filius Petri, & nepos Pauli, fratris Petri, sunt consanguinei in tertio gradu lineæ transversæ inæqualis.

Dixi has regulas in computatione graduum consanguinitatis observandas de *jure canonico*, nimirum *per ordinem ad matrimonia*: quoad hæreditates autem, vel successiones hæreditarias, & tutelæ, computatio juris civilis; & hoc tam in foro seculari, quàm Ecclesiastico; quia quoad ejusmodi successiones illa computatio approbata est jure canonico. c. *ad sedem* 35. q. 5. Nam hæreditates jure civili secundum gradus prærogativam deferuntur ita, ut proximior in gradu, prior sit in successione, & remotiorem excludat. *plures. Instit. de legit. agnat. success.* dicuntur autem *agnati*, qui ab aliquo descendunt per lineam masculinam v. g. ex fratre; qui per femininam, dicuntur *cognati*, quamvis quandoque nomen *cognati* tanquam genus aliquod, & quid superius ad utramque lineam accipiatur; his prænotatis.

Not. ut juxta jus civile, quoad successiones, fiat computatio graduum consanguinitatis in linea recta, tam ascendente, quàm descendente, servandam esse regulam primam, traditam n. 1181. hæc enim eadem est in utroque jure; si autem quartio sit de duobus in linea transversa, computari debere tam gradus, quibus unus ex consanguineis distat à communi stipite, quàm gradus, quibus alter distat ab eodem; hinc si unus consanguineorum distat à communi stipite duobus gradibus, & alter tribus, erunt quinque gradus. Et ideo fratres sunt jure civili in secundo gradu, quia quilibet à communi stipite distat uno gradu; Patruus, & nepos ex fratre in tertio gradu: filij fratrum aut fororum in quarto gradu, quia ambo distant duobus gradibus ab avo &c. nam numerus graduum in hoc computu confurgit ex numero personarum utroque latere venientium; cum jure civili duo consanguinei tot gradibus inter se distent, quot inter ipsos intercedunt generationes. Igitur, ut quis reperiat, quo gradu jure civili, alicui alicui Tertio v. g. Sticho conjuncti sint, Titius v. g. & Cajus super successione in bona Tertij dissidentes, constituenda erit duplex arbor consanguinitatis, una Stichi, & Titij; altera Stichi & Caji. Nam ex hoc faciliè deprehendes, quo gradu Titius, quo Cajus Sticho sanguine junctus sit, atque adeo quis eorum Sticho proximior?
§. III.

§. III.

An, & quousque Consanguinitas dirimat matrimonium inter consanguineos?

1184. Ante resolutionem notandum, non rectè dici consanguineos, de quibus in præsens quaestio, qui ab uno eodèmq; stirpitate, seu communi principio, & progenitore remoto per carnalem propagationem descendunt; sed qui ab uno propinquo: aliàs omnes homines consanguinei essent; quo posito: R. quòd consanguinitas dirimat matrimonium inter consanguineos contrahendum, vel eà stante contractum, constare non tantum ex jure antiquo c. ad sedem 35. q. 5. sed etiam jure Concilij Lateran. sub Innocent. III. ubi hæc extensio restricta est, usque ad quartum tantum gradum inclusivè. c. Non debet. de consang. & Prohibitio quoque ibi: Prohibitio quoque copulae conjugalis quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum de cetero non excedat; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari; & paulo post cum ergo jam usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulae sit restricta, eam ita volumus esse perpetuam, non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab aliis, vel à nobis; ut si quis contra prohibitionem hujusmodi præsumpserit copulari, nulla longinquitate defendatur annum; cum diuturnitas temporis non minuat peccatum, sed augeat: tantòque sint graviora crimina, quantò diuturniora infelices animas detinent alligatas.

1185. Ex hoc textu sequitur, quòd hodie (licet aliud fuerit jure antiquo, ubi consanguinitas matrimonium dirimebat etiam in ulteriori gradu) consanguinei intra quartum gradum invalidè, ultra quartum validè ac licitè contrahant matrimonium, adeoque per gradus prohibitos in materia consanguinitatis intelligi solùm primum, secundum, tertium, & quartum; & hæc restrictio juris antiqui ad quartum tantum gradum intelligenda non solùm in linea collateralium, sed etiam recta descendenti-um, & ascendenti-um, cum textus in c. Non debet indefinitè loquatur. ita Sanchez l. 7. hic d. 51. n. 22. Quare duo consan-

guinei inæqualiter distantes à stirpitate, si aliter distet ultra quartum gradum, liberè possunt matrimonium inire; sic enim non sunt consanguinei in gradu irritante matrimonium; ita Barbosa in c. fin. b. t. n. 2. Advertendum autem quemlibet filiorum facere suam lineam; sic Barbosa in c. 3. h. t. n. 3. hinc pater, vel mater duorum liberorum v. g. Titij & Cajæ, tam in linea descendenti-um à Titio, quam descendenti-um à Caja, venit inter ascendentes. Infideles verò conjuncti in gradu prohibito lege solùm canonicà non separantur, etiam suscepto baptismo; nam talis gradus inter eos non præstat impedimentum, utpotè non subiectos Ecclesiæ, dum contraxerunt; habetur in c. de infidelibus. 4. h. t. nam cum Innocentius III. consultus fuisset, an infideles, qui ante conversionem suam, secundum legis veteris instituta, vel traditiones suas citra gradus consanguinitatis à canone denotatos conjuncti fuerint, separari debeant post baptismum? respondit, quòd matrimonium sic ante conversionem contractum, non est post baptismi lavacrum separandum; cum à Judæis dominus requisitus, si licet uxorem ex qualicumque causa relinquere? ipsis responderit: Quòd Deus conjunxit, homo non separet, per hoc innuens, esse matrimonium inter eos; ubi nota, quòd non dicat esse matrimonium consummatum; sed tantum, esse matrimonium, licet non consummatum.

Dices: si leges Ecclesiasticas non tenentur infideles observare in suis matrimoniis tempore infidelitatis celebratis; sequetur, quòd repudium illis permissum lege veteri cap. 24. Deuteron. relato in c. non satis 34. q. 1. factum inter Judæos ante baptismum maneret, & sustineretur etiam post baptismum; cum factum esset tempore infidelitatis: sed post baptismum tale repudium non sustinetur, imò infidelis baptizatus tenetur cohabitare cum conjugate infideli repudiata, si ipsa sine dispendio salutis aeternæ, aut contumelia creatoris velit cohabitare; c. gaudemus, de divortis. Igitur quia tenentur infideles, dum sunt in ipsa infidelitate, leges Ecclesiasticas servare in matrimoniis contrahendis, & per consequens non possunt contrahere in gradibus ab Ecclesià prohibitis; & si contraxerint, post baptismum sunt separandi.

1187. Confirmatur: irregularitas bigamiae ex iteratis nuptijs proveniens, est juris Ecclesiastici: sed si infidelis contrahat duplex matrimonium in infidelitate; aut unum, dum infidelis est, alterum dum baptizatus reperitur, bigamiam incurrit, nec ad ordines promoveri valet, *cap. si quis viduam. 34. c. acutius 28. q. 3.* id quod probat Dartis in *dist. 28. q. 1.* & notatur in *cap. 3. de bigamis non ordin.* ergo quia circa impedimenta sacramentorum etiam à jure Ecclesiastico provenientia, tempus infidelitatis attenditur, & per consequens nec tunc in gradibus ab Ecclesia prohibitis matrimonium contrahere possunt.

1188. Ad object. in n. 1186. R. N. sequelam; quia post legem Evangelicam jure divino sublata est permissio repudij; ut supra dictum est; jure autem divino ligantur etiam infideles: at jure solum Ecclesiastico non ligantur; ergo si contraxerunt in infidelitate in gradu jure tantum Ecclesiastico prohibito, legitime contraxerunt, nimirum nullo jure tale matrimonium irritante; ergo ab hoc ad jus repudij nullum est argumentum. Evidens enim discrimen est inter matrimonium in infidelitate contractum in gradu prohibito jure solum Ecclesiastico; & matrimonium in infidelitate contractum post libellum repudij; ibi enim ponitur sola lex Ecclesiae, quae non stringit; hic autem lex divina, quae stringit etiam infideles.

1189. Ad confirmationem R. verum esse, quod Ecclesia prohibeat ordinari bigamos tanquam laborantes defectu perfectae significationis sacramentalis, seu tanquam non aptos representare perfectam significationem conjunctionis Christi cum una solum Ecclesia; hunc autem defectum etiam extra Ecclesiam dari posse in his omnibus, qui bigami sunt; nec tolli, quod infidelis bigamus suscipiat baptismum. Quare in forma ad argumentum R. dist. ma. irregularitas bigamiae ex iteratis nuptijs proveniens est juris Ecclesiastici supponentis defectum in subjecto independentem ab eo. C. dependentem. N. quod quis sit bigamus, non pendet à jure Ecclesiastico; bene tamen, quod bigamus non ordinetur, sine dispensatione.



§. IV.

Quo jure consanguinitas dirimat matrimonium?

Quòd jure saltem Ecclesiastico dirimat matrimonium usque ad quartum gradum inclusive, ex dictis constat; quaestio est, an jure naturali, & divino: quòd consanguinitas in primo gradu lineae rectae, jure naturali dirimat matrimonium, est communis sensus Doctorum cum D. Thoma in *4. d. 40. q. 30. a. unico.* ut videri potest apud Dicastillo *hic d. 7. à n. 195.* excipitur tamen satis probabiliter casus gravissima necessitatis, propagandi genus humanum, ut si solum superesset in mundo, Pater, & filia; vel mater & filius, ut notat Dicastillo *cit. à n. 199.* In reliquis autem gradibus lineae rectae, satis probabile est, consanguinitatem esse impedimentum juris tantum Ecclesiastici; ita Perez, Sotus, Valentia, Covar. Lopez, Sanchez, Diana, *p. 8. tr. 1. resol. 96.* & plures alij, quos citat Dicastillo à n. 210. & constat amplius in sequentibus.

Ratio hujus est; quia quò magis in gradibus receditur ab invicem, hoc magis decrescit participatio sanguinis. Hinc avus minus conjugitur nepoti, quam huic proprius parens; minus adhuc pronepos, & abnepos; ergò licet ob maximam conjunctionem sanguinis, quam inter Patrem, & filiam, vel matrem & filium importat primus gradus lineae rectae, natura videatur reprobare horum conjugium, non est tamen idem dicendum de reliquis gradibus lineae rectae. Accedit, quòd Innocentius III. in *cit. c. non debet*, expressè dicat, impedimentum ex consanguinitate, in gradibus, ultra quartum, non possit sustineri; non ergo etiam in linea recta procedit in infinitum, ut volebant aliqui. Unde etiam in gradibus lineae transversae, etiam primo, esse pariter impedimentum juris tantum Ecclesiastici, probabilius censet cum Dicastillo *cit. n. 222.* D. Thom. *2. 2. q. 154. a. 9. ad. 3.* & alijs.

Accedit, quòd compluribus exemplis ex sacris literis constat, ex connubio fratrum, & sororum propagatum esse genus humanum, ut videri potest apud Sanchez *cit. d. 52. n. 10.* Pontium, Gonzalez, & alios. Imò matrimonia fidelium in gradibus ultra primum in linea recta nec jure positivo

positivo Divino prohibita esse, probabilius est. Nam quod dicitur *Levitici*. 18. continet præcepta judicialia, quibus hodie locus non est; cum morte Christi evacuata sint, teste Apostolo *ad Hebr.* c. 7. & habetur c. *Translatio*. 3. *de constit.* ibi: *Translatio Sacerdotio* (intellige *Levitico*) *necessè est, ut legis translatio fiat*; & ideo rectè dicitur, nec in primo gradu inter collaterales dirimi matrimonium jure naturali, vel divino, ex eadem ratione. Et ita tenet Pontius *l. 7. hic c. 32. n. 3.* cum D. Thoma. 2. 2. q. 154. a. 9. ad. 3. & alijs ibidem relatis.

1193. Nec obstat responsum Innocentij III. in c. *Gaudemus. de divor.* dum dicit: *matrimonia inter infideles contracta in secundo, tertio, & quarto gradu consanguinitatis, non debere dissolvi*; ex quo aliqui inferunt: ergo oppositum voluit, si in primo gradu. Negatur enim consequentia, quia Pontifex ibi solum respondit ad id, quod quaesitum ab eo erat; de primo autem gradu nihil quaesitum fuit; ergo.

1194. Hæc ex communi aliorum sensu. Cæterum hic annotare placuit, non eo ipso, quod aliquid *jure naturæ illicitum sit*, etiam *eodem jure irritum*, ac nullum esse; sic violare fidem alteri sine ulla causa excusante, jure naturæ illicitum est; & tamen si sponsus post sponsalia legitime contracta, nec dissoluta fidem suæ sponsæ violat per verba de præfenti contrahendo cum alia, contractus hic secundus jure naturæ tenet; idem est, si quis contrahendo matrimonium, fidem Deo per votum datam, violet. Nam ipsum jus naturæ dicitur, fidem Deo vel homini datam, esse servandam. Unde prohibitio juris naturalis (in eo fundata, quod talis operatio, vel omissio dicente ipso lumine naturali apud omnes gentes rationi naturali adversetur) non sufficit, ut aliquid eo ipso etiam irritum sit jure naturæ, ut ex factis exemplis constat. Tunc ergo aliquid jure naturali prohibitum, eo ipso etiam eodem jure est irritum, quando illud ipsi naturæ, ac intrinseco fini talis actus, vel operis opponitur. Unde, si non obstante tali facto, vel opere, jure naturæ illicito, ratione aliqujus extrinsecæ circumstantiæ prohibita, natura, & finis (matrimonij v. g.) illata permaneant, matrimonium tali casu celebratum erit quidem jure naturæ illicitum,

sed non irritum; sic Victoria, & complures alij, quos citat, & sequitur Sanchez *l. 2. matr. d. 51. a. n. 3.*

Ex hoc deducit Sanchez *cit. n. 7. matrim.* 1195. monium in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ (nempe inter parentes, & filios) esse jure ipso naturæ irritum; deinde n. 9. & 10. non tamen sic esse intrinsecè malum, ac mendacium; atque adeo Deum posse dispensare, ut tale matrimonium iniretur. Unde n. 11. docet, tale matrimonium non adversari simpliciter, ac omnino substantiæ, ac intrinseco fini matrimonij (quem n. 40. ait esse sobolis procreationem, & remedium concupiscentiæ) sed debito ejus ordini, & convenientiæ.

Rationem primæ partis desumit ex eo. 1196. 1. Quia omnes gentes, instructæ naturali lumine, abhorrent tale matrimonium, etiam brutis averfantibus congressum cum parentibus. 2. Quia talis contractus quodammodo adversatur hujus contractus substantiæ, qui petit duo extrema distincta, quorum unum non sit pars alterius; filij autem sunt pars parentum; præterquam, quod matrimonium tendat ad hoc, ut vir, & mulier fiat una caro, filij autem per naturalem conjunctionem sunt una caro cum parentibus; ergo filij, & parentes non sunt habiles ad talem contractum, spectato ejus ordine, & convenientiæ, quæ petit ut uxor viro subdita sit; quod naturali lumine repugnat, si mater esset uxor filij, &c.

Rationem secundæ partis desumit ex eo, quia nullus gradus omnino tollit finem matrimonij, licet impediatur aliquo modo. Ex tali enim conjugio nasci possunt liberi, & educati. Rationem. 3. partis accipit inde, quod malum privatum (v. g. irreverentiæ paternæ, quæ contingeret, ubi mater esset uxor filij, eique subdita) compensari potest bono majoris ordinis respectu totius generis humani, cæteroquin interituri.

1198. Quæstio ulterior est, an irritatio matrimonij inter ascendentes, & descendentes jure naturæ inducitur, protrahatur in infinitum? affirmant complures apud Sanchez *cit. l. 7. matrim. d. 51. a. n. 12.* ex quibus idem tenent aliqui etiam de jure Ecclesiastico; pro qua opinione citatur Hostiensis *h. t. n. 7. Joann. Andr. de arbor. consang.*

consang. n. 12. Panormit. in c. Non debet. n. 8. & novissimè P. Wicstner de Imped. Coniug. p. 2. a. 9. n. 25. Ratio illorum (inter alias) est, quòd jure civili matrimonia diserte prohibeantur in infinitum in linea recta. *L. Nuptia. § 3. L. fin. ff. de ritu nupt. 1. & c. Ergo non omnes, Instir. de nuptijs, ibi: inter eas personas, quæ parentum, liberorumve inter se locum obtinent, contrahi nuptiæ non possunt usque in infinitum: ergo idem dicendum jure Ecclesiastico; conseq. probant. 1. quia hæc juris civilis dispositio satis clarè approbata est à Nicolao. 1. ad consulta Bulgarorum, inter cætera etiam exquirentium, quibus feminis debeant jungi? c. 39. præter factorum canonum decreta, etiam cit. §. Ergo allegante; quod etiam satis innuitur c. Progeniem. 35. q. 3. deinde, quod jure civili obtinet, etiam Ecclesiastico jure obtinet, quando super tali materia in hoc nihil specialiter, & expressè dispositum est, juxta c. 1. de novi operis nuntiis: & saltem in casu, quo juris civilis dispositio honestati valde conformis est, nec agit contra sacros canones; hic autem sic contingit; ergo.*

1199. Sed negativa videtur probabilior; sic etiã sentiente P. Sanchez *hicl. 7. d. 51. n. 22. Castopal. Tract. 28. d. 4. p. 8. n. 9. Benacin. Pontio, Fagnano, & alijs.* Ratio est, quia in c. non debet. 8. h. t. impedimentum ex consanguinitate expressè restringitur ad quartum gradum inclusivè tantum. Verba formalia sunt: *Prohibitio copule conjugalis quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus, non potest absque gravi dispendio, hujusmodi prohibitio generaliter observari.* Ex quibus verbis perspicuum est, hanc restrictionem indefinitè, ac illimitatè factam, à contrarijs non bene restringi ad consanguineos solum in linea transversali; cum textus planè generaliter loquatur. Accedit, quòd ratio, quæ stat pro nullitate matrimonij inter liberos, & parentes, inducta jure naturali, nec naturæ matrimonij, nec ejus fini, aut ejus ordini debito, aut naturali convenientiæ ulla ratione adversetur, prout colligi potest ex dictis à n. 1194. si referatur ad matrimonium inter personas lineæ rectæ in gradibus ultra primum.

Neque ex hoc, quòd c. non debet, loquatur solum de linea inæquali, evincitur, quòd concilium videatur loqui in eo casu de illis tantum gradibus ulterioribus, ex quorù pluralitate nascebantur ea dispendia, quæ cavere voluit; hæc autem solum oriebantur ex conjugijs collateralium; nam ob brevitem vitæ hominum casus non evenit, ut unus descendente in quinto, sexto, vel ulteriori accipere posset. Ratio est, quia Pontifex in c. non debet non allegat unice dispendia ex nuptiis sæpè nulliter contractis stante illà prohibitionum multitudine, fumendo dispendia pro solis connubijs sæpè irritis ex ignorantia tot prohibitionum: sed etiam pro alijs difficultatibus emergentibus, propter quæ *urgens necessitas, vel evidens utilitas exposcit, secundum varietatem temporum statuta quandoque variari humana; at hoc non tantum pro consanguineis in linea obliqua, sed etiam recta considerari potest.*

Nec ex eo, quòd fortassis hæctenus nullus talis casus evenerit, conseq. nuncquam dispensatum sit à Romano Pontifice, rectè sequitur, eam restrictionem esse solum pro collateralibus. Nam, ut rectè notat Basil. Pont. l. 7. c. 32. n. 10. hoc parum refert; Ex eo enim, quòd nostrà memoriã casus non evenerit, non sequitur nunquam ejusmodi casum fore. Præsertim, cum causa restringendi (allegans dispendia ex nullitate matrimonij) possit æquè reperiri in casu, quo Princeps contraheret cum aliqua ex suis descendentebus, quam si collateralis cum collateralis, ultra quartum gradum; cujus exemplum in alio casu allegat Pontius cit. n. 14.

Ad rationem in contrarium n. 1198. R. C. ant. N. conseq. ad 1. prob. dato, quòd jure antiquorum canonum matrimonia perpetuò irrita fuerint inter consanguineos usque ad septimum gradum, vel quousque parentela cognosci posset, ut habetur in cit. c. Progeniem, & sequentibus: ex Nicolao 1. (qui teste Pontio cit. c. 30. n. 2. solus distinxit inter descendentes per lineam rectam, & transversales) in illis, non in his, voluerit in infinitum extendi hoc impedimentum: ex hoc tamen nihil sequitur pro etate præsentis, post constituitur. Innoc. III. in cit. c. Non debet, indefinitè restringentis gradus prohibitos solum ad pri-

ad primos quatuor inclusive; & quoniam fere omnes antiqui canones, paucis exceptis, hoc impedimentum, in tam multos gradus porrigentes, hoc volebant *nam in affinitate, quam in consanguinitate* (ut bene notat Pontius *cit. n. 2.*) si antiqui canones restrictionem capituli *Non debet*, limitarent, ut ea non cadat in consanguineos linee rectæ, limitaret etiam sic inter affines; adeoque etiam inter affines linee rectæ in infinitum jure Ecclesiastico irritum esset matrimonium, quod tamen rectè dici non potest.

Ad secundam prob. conseq. in n. cit. g. trans M. N. Min. 1. quia oppositum à facris canonibus esse dispositum constat ex *cit. c. Non debet*. 2. quia, quando dicitur, *constitutum à Legibus, etiam in foro Ecclesie recipi*, si leges nihil disponunt contra bonos mores, intelligendum est, si constituent in materia *sui fori*, seu potestati laicæ subiecta, qualis non est, validitas matrimonij inter fideles. Nam hæc materia (de valore sacramentorum, & impedimentis dirimentibus matrimonia fidelium) pertinet ad solam Ecclesiam, juxta definitionem Concilij Trident. *sess. 24. de reform. matr. can. 12. & c. Euphemium 2. q. 3. q. 2.* hinc, ibi: *matrimonia* (intellige fidelium) *hodie reguntur jure Poli, non jure Fori.* & *c. 1. de sponsal.*

Ex his videtur probabilius, in solo primo gradu matrimonium ascendendum, & descendendum jure naturæ inter consanguineos interdictum esse interdicto illud annullante; ita Sanchez *cit. l. 7. d. 52. n. 19.* & apud eum D. Thomas 2. 2. q. 154. a. 9. ad 3. Cajetanus, Armilla, Sa, & complures alij; quia in ulterioribus ultra primum gradum non reperitur ratio, jure naturali irritans matrimonium inter eos, qui sunt in remotiori gradu ultra primum, sive in linea ascendente, sive descendente, multo minus collateralis; ut mox dicemus.

Dices 1. natura respicit matrimonium inter parentes, & liberos ratione reverentiae illis ab his debita; at major subjectio & reverentia debetur ascendentibus remotioribus: & eo major, quod ascendens remotior est. Et quamvis hominum ingratitude, seu potius ascendendum remotiorum morte, amicitia inter ascendentes & descendentes remotiores eva-

nescat, non tamen ob id tollitur naturale reverentiae, & subjectionis debitum. Repugnat igitur naturæ æqualitas socialis matrimonij inter hos.

Secundo, quia licet in gradibus remotioribus minor sit propinquitas sanguinis, ac proinde minor indecentia conjugij appareat, quam inter parentes, & liberos; at est major inæqualitas ætatis, & consequenter major indecentia ratione illius; & subinde defectus ille propinquitatis compensatur inæqualitate hac.

Tertio, quia omnes ascendentes habent rationem principij jure naturali, ac subinde rationem superioris, & ideo Christus Servator noster appellatur *Matr. 1. filius Abrahe, & David*, à quibus remotissime descendit; ergo jure naturali impeditur æqualitas per matrimonium constituenda. Ultimo, quia jure civili statutum est prohibitionem hanc nullis finibus contineri, sed in infinitum protrahi. *Instit. de nuptiis q. Ergo non omnes, L. Nuptie 53. L. Et nihil. 54. ff. de ritu nupt.* ubi & ad ascendentes illegitimos extenditur.

Ante responsionem notandum, reverentiam naturalem, à filiis debitam parentibus, fundari in eo, quod filij suos parentes respiciant *tanquam principium per se*; non autem merè per accidens. Nam ad rationem filij, quæ talis, solum requiritur, ut originem habeat à parentibus, quin ad hoc desideretur, ut etiam habeant, vel habuerint avum, vel aviam; hinc quod parens filij habuerit alium parentem, respectu filij per accidens est. Cain enim, & Abel fuerunt veri filij Adami; & tamen iste nullum parentem habuit; & illi nullum avum; consequenter avi, & majores ascendentes respectu nepotum, & reliquorum descendendum, non sunt principium, nisi per accidens; quæ ratio principij non fundat eam reverentiam à descendentibus deberi illis, propter quam juri naturæ repugnat conjunctio conjugalis in avo, & nepte; vel avia, & nepote, sicut conjugalis conjunctio patris cum filia, vel matris cum filio; ita Sanchez *cit. n. 19.* licet reverentia politica debeatur avo, tanquam primo domino, & primo in gubernando principio; quibus potius:

1209. Ad object. in n. 1205. B. cum dist. ma. natura respuit matrimonium inter parentes, & liberos ratione *reverentie naturalis*, illis ab his debita, concedo ma. ratione *reverentie politica*. nego ma. dist. min. at major reverentia *politica* debetur ascendentibus remotioribus. Conc. reverentia *naturalis*, nego min. & conseq. Ratio est ex num. precedent. ad 2. in n. 1206. B. in dato casu non attendi etatem, sed indecentiam, quam natura respuit, tanquam id, quod repugnat naturali reverentia, à filiis debita, tanquam suo principio per se, & non merè per accidens.

1210. Ad 3. in n. 1207. B. cum dist. ant. omnes ascendentes habent jure naturali rationem *principij per accidens* respectu descendentium; transeat: rationem *principij per se*, N. ant. similiter distinguo alteram partem antecedentis: habent rationem superioris etiam naturaliter, & per accidens conc. naturaliter, & per se nego hanc partem, & conseq. ad 4. B. in impedimentis matrimonij non attendi jus civile inter fideles; cum jure humano impedimenta matrimonij statuere sit de jure solius Ecclesie, ut dicemus quaest. ult.

Igitur matrimonium inter ascendentes, & descendentes non est invalidum jure naturæ in ullo gradu excedente primum, ut dictum est, id, quod clarè docet D. Thomas 2. 2. q. 154. a. 9. ad 3. ubi ait in commixtione conjunctarum personarum aliquid esse, quod secundum se repugnat rationi naturali, sicut si fiat commixtio inter parentes, & filios, quorum est *per se*, & immediata cognatio; alias verò personas, quæ non conjunguntur per se ipsas, sed per ordinem ad parentes, non habere *ex se ipsis* ita indecentiam, sed hanc sæpe variari juxta consuetudinem &c. Deinde in 4. dist. 40. q. unic. a. 3. in corp. ubi agit de gradibus consanguinitatis jure naturæ prohibitis, in responsione solum meminit *primi gradus*, *lineæ rectæ* V. plura super hoc infra.



ARTICULUS II.

De Impedimento ex Affinitate.

Affinitas (seu ut alio loquuntur) *affinitas*, jure civili est attinentia, seu conjunctio unius personæ cum aliena familia, mediante matrimonio; jure autem Canonico, est conjunctio, seu propinquitas personarum proveniens ex copula carnali; sic Pyrrhus Corradus in *praxi dispens. Apostol. l. 7. c. 1. n. 13.* cum communi; quia cum per copulam carnalem vir, & femina una caro efficiantur (hoc ipso consanguinei feminae fiunt viri affines, & propinqui in eodem gradu, in quo sunt cum femina; & consanguinei viri fiunt feminae affines, & propinqui in eodem gradu, in quo sunt cum viro) vir propinquat ad fines sanguinis familiae, de qua est mulier; ac vicissim; juxta gl. in c. non debet. de consang. & affin. V. in secundo. Et deciditur in c. Fratemitatis. 35. q. 10. ibi: *si una caro fuerit, quomodo poterit aliquis eorum propinquus uni pertinere, nisi pertineat alteri?*

Ex hoc colliges, cum affinitas, secundum leges, sit personarum propinquitas *ex justis nuptiis* proveniens, seu diversorum per nuptias copulatio, de jure civili ad hoc, ut affinitas contrahatur, requiri justas nuptias, seu legitimum matrimonium. *L. non facile est. sed sciendum. ff. de grad. & affinib.* Hinc, quantum est de jure civili, ex copula fornicaria non contrahitur affinitas; secus de jure canonico, ut constat ex n. priori nam *in ordine ad matrimonium* non attenditur affinitas, nisi considerata secundum sacros canones; at secundum hos ea nascitur etiam ex copula fornicaria incestuosa, & adulterina, ut dictum est n. 1211. ergo.

Not. autem *affinitatem*, seu hanc propinquitatem, *non nasci ex carnali copula*, nisi perfecta sit & consummata, de qua diximus n. 460. nisi enim fecerit sanguinis commixtionem, & carnis unitatem, nulla inde nascitur affinitas. sic Corradus n. 17. Et ideo ex penetratione vasæ femine, absque seminatione intra illud, nulla nascitur affinitas; c. *Extraordinaria* 35. q. 5. imò juxta probabilem sententiam, de qua diximus super.

supr. & dicemus n. 1230. affinitas non nascitur absque seminatione viri, & feminae, cum generationi probabiliter necessaria sit utriusque seminatio: ita Castropal. d. 4. de sponsal. p. 8. n. 3. Quare vir, qui cum aliqua muliere habuit copulam solum imperfectam; & non consummatam (ut si non seminavit intra vas mulieris; licet illud penetraverit, licet voluntariè etiam extra vas seminauerit, v. g. metu ingravidationis) non contraxit affinitatem; quæ præstet impedimentum dirimens matrimonium; quia copula non fuit perfecta. A fortiori autem sequitur ex matrimonio rato tantum; nec consanguineos viri cum uxore; nec consanguineos huius cum viro habere affinitatem; cum hæc non nascatur inter consanguineos viri cum muliere, & mulieris cum viro, nisi inter hos carnalis copula intervenerit.

1214. Not. 2. ex affinitate non nasci affinitatem; hinc licet consanguinei viri sint affines feminae ab illo carnaliter cognita, non tamen sunt affines consanguineorum feminae; & e contra: habetur expressè in c. quod super his. 5. h. 1. ibi: licet omnes consanguinei viri sint affines uxoris; & omnes consanguinei uxoris sint viri affines; inter consanguineos tamen uxoris & viri, nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. Hinc sequitur, quòd, si Titius carnaliter cognovit Bertam, pater, filius, vel frater Titij possit matrimonium contrahere cum matre, filia, vel sorore Bertæ; quia ex copula Titij cum Bertâ nulla nata est affinitas inter consanguineos Titij, & Bertæ.

1215. Not. 3. quòd, licet affinitas contrahatur non solum ex copula conjugali, sed etiam ex illicita, qualis est fornicaria, & incestuosa, ut habetur c. discretionem h. t. junctâ gl. v. nec affinitas: tamen, quando simpliciter loquimur de affinitate, juxta stylum, seu praxim Romanæ Curia, intelligi tantum de affinitate legitima, nisi aliud exprimat; non autem de illegitima; quia in dubio delictum non præsumitur. L. merito ff. pro socio; & in odiosis verba sunt intelligenda in potiori significato. Et ideo inolevit stylus Romanæ Curia, ut affinitas ex illicita copula proveniens, in supplicatione pro dispensatione

Tom. IV.

exprimenda sit. Sic Corradus citato n. 13.

Not. 4. quòd affinitas tam legitima, 1216. quàm illegitima inter affines præstet impedimentum dirimens perpetuum, quòd scilicet duret, etiam mortuâ personâ, quâ mediante contracta est; constat ex cit. c. Fraternalitatis, ibi: porro uno defuncto, in superstitè affinitas non deletur; nec alia copula conjugalis affinitatem prioris copule solvere potest. Hinc deducitur, virum, etiam mortuâ muliere; quam carnaliter cognovit, invalidè contrahere matrimonium cum ejus consanguinea in gradu prohibito; & vicissim, mulierem etiam post mortem viri, à qua carnaliter cognita est, cum consanguineo viri; quia ut dictum est, morte alterius affinitas præstans impedimentum dirimens non est extincta; licet enim deficiat tunc persona, quæ fuit origo, & principium affinitatis, non deficit tamen subjectum; hæc terminus illius, ita Dicastillo tom. 3. de matr. d. 7. n. 349. Sanchez l. 7. eod. d. 64. n. 5.

Not. 5. affinitatem, de jure canonico 1217. aliam esse legitimam, quæ scilicet oritur ex copula licita, seu conjugali; aliam illegitimam, quæ nascitur ex copula illicita; dixi, de jure Canonico. Nam illegitima jure civili non datur ex n. 1212. Verum, ut dixi, consideratio affinitatis, secundum jus civile, non attenditur in causis matrimonialibus; sed solum secundum jus canonicum, ad quòd spectant causæ matrimoniales, utpote spirituales, cum matrimonium habeat rationem sacramenti; his præmissis:

§. I.

Quot sint genera affinitatis?

Præter hoc, quòd jure canonico duplex 1218. sit affinitas, legitima, & illegitima, ut dictum est; in tria tamen genera (ut communiter norant Doctores) affinitas distincta reperitur. Primum genus est, quòd contrahitur mediante tantum unâ personâ, quæ per matrimonium consummatum alteri conjungitur. Hinc si tuus frater in uxorem duxit Bertam, hæc tibi affinis est in primo genere affinitatis. Secundum genus est, quòd contrahitur mediantibus duabus personis, cum scilicet personæ tibi affini in primo genere alia per matrimonium

R 1 2

monium

monium conjungitur. Hinc si post mortem tui fratris, Berta hujus uxor, nuberet alteri viro (Titio v. g.) Titius tibi esset affinis in secundo genere affinitatis. Tertium genus affinitatis est, quod contrahitur mediantibus tribus personis, cum scilicet persona tibi affini in secundo genere affinitatis per matrimonium alia persona conjungitur. Hinc si Titius de quo prius, post mortem Bertæ, duceret Cajam, hæc tibi esset affinis in tertio genere affinitatis. Quando igitur tuo consanguineo per matrimonialem conjunctionem, & copulam additur una tantum persona, constituitur primum genus attinentiæ, seu affinitatis, & quidem in eo gradu, in quo ille tibi est sanguine junctus; similiter, si tuo affini primi generis additur alia persona per matrimonialem conjunctionem, constituitur secundum genus: ac denique si tuo affini secundi generis addatur rursus nova persona per matrimonium, constituitur tertium genus.

1219. Nota autem 1. per hoc, quod mutetur genus affinitatis, non mutari gradum. Unde sequitur, licet Titius, qui primo matrimonio habuit Bertam sororem tuam, consequenter tibi fuit affinis in primo gradu, & primo genere, mortuâ Bertâ, ducat Cajam, & hæc tibi fiat affinis in secundo genere; non tamen fiat tibi affinis in secundo, sed tantum primo gradu; quia mutatio generis, non mutat gradum. Similiter si Berta soror tua, post mortem primi viri v. g. Titij, nubat Cajo, Cajus tibi erit affinis in primo gradu & primo genere. In primo gradu, quia habet tuam consanguineam in primo gradu: in primo genere, quia secundum genus non contrahitur nisi mediante affine primi generis contrahente novum matrimonium; nec tertium, nisi mediante affine secundi generis. Denique si tuus affinis in primo gradu primi generis, ineat secundum matrimonium cum alia v. g. Titia, hæc tibi pariter erit affinis in primo gradu, sed secundi generis; cum sit uxor tui affinis in primo gradu primi generis; & si tuus affinis in primo gradu primi generis mortuis duabus prioribus uxoribus iniret tertium matrimonium cum Scia v. g. hæc tibi erit affinis in primo gradu tertij generis; cum habeat tuum affinem in primo gradu, sed tertio matrimonio.

Not. 2. quod primum genus affinitatis contrahatur inter viros (intellige maritos) & consanguineas uxorum; ac inter uxores, & consanguineos virorum; non autem, inter consanguineos viri, & consanguineos uxoris; ut dictum est. Hinc inter consanguineos viri & mulieris, contrahi potest affinitas, sed solum in secundo, & tertio genere. Nam 1. si Titius, mortuâ tuâ sorore, quam habuit in uxorem, ducat Cajam, consequenter hæc tibi, & fratri tuo fiat affinis in primo gradu secundi generis, ut dictum est; poterit frater mortuo Titio ducere Cajam, ut dicemus infra; & tamen Cajo est fratri tuo affinis in primo gradu, sed secundi generis. 2. Si Titius, qui primo matrimonio habuit sororem tuam Bertam; secundo Cajam, & utraq; mortuâ ducat Titiam, quæ juxta dicta tibi, ac fratri tuo est affinis in primo gradu, sed tertij generis; poterit frater tuus mortuo Titio, in uxorem accipere Titiam, hoc est, affinem suam in primo gradu, sed tertij generis.

Ratio horum est, quia licet affinitas secundi & tertij generis, etiam sit genus affinitatis; ex hoc tamen triplici affinitatis genere non inducitur impedimentum dirimens matrimonium, nisi ex solo primo genere affinitatis, ut constat. 1. ex c. quædam. 35. q. 3. deinde ex c. Non debet de consang. & affin. sic Corradus cit. l. 1. c. 1. n. 22. & communis. Unde secundum & tertium genus à ratione impedimenti matrimonium dirimentis hodie sublatum est; licet olim etiam secundum & tertium genus fecerint idem impedimentum.

Not. 3. quod nova persona addita per matrimonium personæ affini, seu attinentiæ (sic enim vocari solet propinquitas affinium, seu nascens ex carnali copula cum consanguineis personæ carnaliter cognitæ, tam activè, quam passivè) mutet quidem genus affinitatis, seu attinentiæ; sed non gradum, ut notat gloss. in cit. c. non debet de consang. Hinc si frater meus, qui mihi consanguineus est in primo gradu, ducat Bertam in uxorem, Berta est persona addita personæ nimirum fratri meo; hæc additio mutat genus attinentiæ, hoc est, facit, quod Berta mihi alio genere conjuncta sit, quàm frater; illa nimirum affinitate, iste consanguinitate, non tamen mutat gradum. Nam sicut ille mihi conjunctus est

§. II.

Quæ sit regula cognoscendi gradus affinitatis?

est in primo gradu consanguinitatis, sic illa mihi conjuncta erit in primo gradu affinitatis, in primo genere, ut expressè notat Schneidewinus in l. 1. Instit. tit. 10. de nupt. n. 8. Et ideo privignus evidenter est cum vitrico suo in primo gradu affinitatis in primo genere.

121. Not. 4. quando dicitur, quod affinitas non pariat affinitatem, ut dicitur c. super his. de consang. principaliter intelligendum esse, quod non pariat affinitatem inter ipsos consanguineos viri, & mulieris, qui se carnali amplexu cognoverunt; atque adeo, quod nec vir affinitatem, quam contraxit cum consanguineis uxoris, transmittat in suos etiam consanguineos, nec mulier in suos eam, quam ipsa habet cum consanguineis viri.

Si autem quæras: ad quid conducatur affinitatis distinctio in prædicta tria genera; cum secundum, & tertium genus, jure canonico per ordinem ad nuptias non attendatur? Schneidewinus l. 1. Instit. tit. 10. de nupt. respondet, ex duplici capite, jure civili, hanc distinctionem attendi. 1. propter matrimonium, quia jus civile dicit esse necesse, eos, qui affinitatis causâ inter se parentum vel liberorum loco habentur, in matrimonio copulari, ut habetur cit. l. non facile. §. hoc itaque. Cæterum jure affinitatis nulla successio, vel hereditas permittitur. L. affinitatis. C. communia, de successione; secundò propter testimonium ferendum; quia, licet quis, etiam in viis cogi possit ad ferendum testimonium, ne veritas occultetur, ut constat ex secundo decretal. de Testibus: affines tamen in viis non coguntur ferre testimonium contra affines, ut notat Schneidewinus cit. n. 1. Tertia ratio etiam esse potest, quia quandoque per generalia, vel etiam specialia Principum decreta, jubentur abesse a consilio, vel senatu, qui alias jus suffragij habent, quando proponenda est causa, quæ tangit eorum affines; quo casu sæpe dubitari solet, an, cum abesse in eo casu jubentur affines, intelligendum veniat decretum de affinitate in primo solum genere, an etiam in reliquis? nec raro in odium personæ fit extensio, in favorem restrictio hujus termini affinis, contra mentem Principis, & leges justitiæ, quæ amorem inter, & odium media, neutrum respicit; sed finem legis, & mentem Legislatoris.

Weslenbecius in lib. 3. Instit. tit. 3. de 1224 gradibus cognationis, docet, nullos esse gradus affinitatis re ipsâ. L. 4. §. grad. 4. ff. de gradibus cognat. sed nomine tantum & abusive. L. ult. ff. eodem; quod unaquæque generatio, vel successio gradum efficiat; affines autem alij ex alijs non gignantur; sed ex matrimonijs fiant. Et ideo notat in ff. ubi Titulus inscriptus est de gradibus (scilicet cognatorum) non dici: & affinitatis; sed: & de affinitibus; ut rectè legatur: de gradibus cognationis, & affinitibus; non affinitatis; quod hæc jure civili gradibus careat. Et quamvis etiam Zoëlius in cit. l. 1. Instit. tit. 10. §. affinitatis quoque n. 17. dicat, affinitatem non esse lineis, & gradibus distinctam. L. 4. §. gradus. ff. de gradibus: rectè tamen observat, nihilominus etiam inter affines esse quandam seriem instar graduum cognationis. sed ut sit de jure civili; de jure canonico non minus affinitas, quam consanguinitas in suas lineas, & gradus distinguitur, ut mox sequetur.

Quæstio igitur est: quæ sit regula cognoscendi, in qua linea & gradu unus alij affinis sit? R. cum solum quæstio fieri possit de affinitate consanguineorum viri cum hujus uxore, aut muliere ab illo carnaliter cognita; & consanguineorum uxoris seu mulieris cognita cum hujus viro (inter alios enim affinitas non datur ex n. 1214.) hanc esse regulam communiter receptam: in quo gradu, & linea quis est consanguineus viri, in eodem gradu, & linea est affinis uxori, vel mulieri ab eo carnaliter cognita; & in quo gradu, ac linea quis est consanguineus uxori, vel mulieri ab alio carnaliter cognita in eodem gradu, & linea est affinis viro, qui eam carnaliter cognovit. ut dicitur c. Porro 35. q. 5. quæ ratio est, quod in L. Non facile ff. de gradibus, & affinitibus. §. nomina, dicitur, quod nulli sint gradus affinitatis nimirum alij, quàm sint gradus consanguinitatis.

Hinc sequitur, consanguineos viri in linea recta, pariter in hac linea esse affines mulieris ab ipso carnaliter cognita; & 1226. R. 3. quidem

quidem in eodem gradu, quo ipsi sanguine juncti sunt; & vicissim consanguineos mulieris in linea recta, in hac linea pariter esse affines viri, qui eam carnaliter cognovit; & similiter in eodem gradu, in quo mulieri sanguine juncti sunt. Idem tenendum est de linea collateralis, tam æquali, quam inæquali; & cæteris gradibus. Hinc Titius, cujus fororem in uxorem habet Caius, est Cajo affinis in primo; Filia Titij in secundo; neptis Titij in tertio; proneptis in quarto gradu, & linea transversalis; quia in eodem gradu & linea Titius (ac ejus descendentes) sunt consanguinei uxoris Caij.

1227. Præterea not. arborem affinitatis proportionaliter ad arborem consanguinitatis, nihil aliud esse, quam seriem, seu ordinem personarum, se attinentium ratione carnalis copulæ cum consanguineo, vel consanguinea alterius, distinctum pariter per lineas, & gradus, statuto pariter stipite, ut dictum est supra. Quoniam verò affinitatis origo, seu radix proxima illius, est carnalis copula viri & feminae (ex hac enim fit, quod vir, qui per copulam fit una caro cum muliere, & hæc vicissim cum illo, attingat sanguinem ejus, ac ob id cum consanguineis ejus affinitatē contrahat) ideo in arbore affinitatis pro stipite collocandi sunt conjuges, seu vir & mulier, qui inter se carnalem copulam habuerunt; & sub hoc ex una parte ponuntur consanguinei viri, & altera consanguinei Caje; nam quo gradu aliquis est consanguineus Titio, eodem erit affinis Caje, ut dictum est, & vicissim. Ex hoc notandum, quod vir, & femina, inter quos copula carnalis intercessit, non sint affines, sed stipes, ut dixi, aut truncus, seu radix, & origo, unde sumitur, & oritur tota ratio, & series affinitatis; ita Dicastillo. *de Matrim. d. 10. n. 348.*

§. III.

An, & quousque affinitas dirimat matrimonium.

1228. Quæstio est. 1. an affinitas tam legitima, quam illegitima dirimat matrimonium? R. affirmativè; primum habetur. *c. Ex literis 1. h. t.* ubi separatur matrimonium viri cujusdam cum vidua, ipsi quarto gradu affini, propterea, quod ejus consan-

guineum in quarto gradu legitimum habuerit primo connubio; colligitur ex illis verbis: *si per testes circumspicatos, omni exceptione majores, inveneris, quod primus vir superstitem quarto gradu consanguinitatis attingit, non differas arboris sententiam promulgare, æque enim (ut canones dicunt) abstinendum est à consanguineis uxoris, ut propriis.* Sic Alexander III.

Quæstio est 2. quousque affinitas se extendat? R. quod jure antiquo affinitas tam legitima, quam illegitima porrigebatur usque ad septimum gradum, sicut consanguinitas *c. 1. c. nullum. c. equaliter. 35. q. 3.* hodie tamen legitima extendat se solum ad quartum, juxta *cit. c. non debet. 8. h. t.* & illegitima ad secundum gradum inclusivè, juxta Trid. *sess. 24. de Reform. matr. c. 4.* ibi: *sancta Synodus, gravissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo, & secundo gradu conjunguntur, restringit; in ulterioribus vero gradibus statuit, hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.*

Ex hoc colliges, matrimonium inter fornicarium, & consanguineos fornicariæ vel econtra inter consanguineos hujus cum illo, valide, liciteque contrahi in tertio, vel ulteriori gradu; quia etiam affinitas in re fit; etiam in reliquis ultra secundum gradibus; non est tamen juridice seu quoad effectus juris, & vim impediendi matrimonium contrahendum, vel dirimendi contractum. Et hoc eodem modo intelligendum est de affinitate ex quacunque copula illicita consummata, qualis est adulterina, incestuosa, vi etiam, & cum invitata, ebria, stulta, vel dormiente commissa; nam licet etiam ex tali copula naturaliter oriatur affinitas, ut dicemus infra; vim tamen dirimendi habet solum ad gradum secundum inclusivè, ut constat ex Tridentino. Dixi, consummata, nimirum eam, per quam vir, & femina fiant una caro, prout colligitur ex *c. Fraternitati. 1. q. si una caro sunt. 35. q. 10.* adeoque tali, quæ per se sufficiat ad generationem prolis, qualis ea tantum est, in qua semen virile recipitur intra naturale vas mulieris, prout habetur *c. Lex Divina. 27. q. 2. c. Extrav.*

Extraordinaria. 35. q. 3. juncta gloss. v. eodem est ad hoc probabiliter etiam requiratur seminatio feminæ, ut dictum est.

§. IV.

Quo jure affinitas dirimat matrimonium.

Matrimonium inter affines, in primo gradu, linea recta, esse jure naturæ irritum, loquendo de affinitate legitima (nimirum ex copula conjugali) v. g. inter vitricum, & privignam; inter Noveram, & privignum, docet Covarr. in 4. decret. p. 2. c. 6. §. 10. n. 8. Sylvester, Coninch, Tannerus, Layman, & alij, quos citat, & sequitur Pirhing b. t. n. 32. sed contrarium probabilius est, ut tenet D. Thomas. 2. 2. q. 154. a. 9. ad. 3. Sanchez l. 7. d. 66. n. 7. Pontius hic l. 7. c. 34. n. 5. Castropal. tr. 29. d. 4. p. 8. n. 12. & alij, quos citat, & sequitur Dicastillo. Nam ex tali affinitate non nascitur *ulla naturalis superioritas*, cujus reverentiâ, speculato lumine naturali, usus matrimonij non liceret. Ea enim fundatur in hoc, quod unus sit *naturâ*, seu naturale principium per se alterius, ut diximus n. 1208. id, quod non est inter affines. Confirmari potest ex his, quæ adducit Gonzalez in c. 1. h. t. à n. 9. ubi ait. i. c. de incestis. 35. q. 3. præcipi, etiam matrimonia inter affines *primi gradus*, ante illam prohibitionem contracta, dissolvantur; loquitur autem expressè de casu, si quis *noveram duxerit*, aut *privignam misceatur*; & in Concilio Aurelian. 3. can. 30. ne matrimonia *hujusmodi* in infidelitate contracta, post baptismum separentur; hoc autem fieri non potuisset, si jure nature talia matrimonia fuissent irrita. Accedunt plura exempla facti, ex historia facta, & profana, quæ allegat ibidem; quæ sanè suadent ejusmodi connubia jure gentium, aut naturæ non fuisse illicita.

Ex hoc colliges matrimonia affinium à fortiori nec in gradibus infra primum lineæ rectæ; nec in primo, & ulterioribus lineæ collateralis, jure naturæ dirimi; tum quia id nec præstat consanguinitas a n. 198. nec affinitas in primo gradu lineæ rectæ ex n. 1228. 3. quia ut notat Dicastillo cit. d. 7. n. 374. cum pluribus alijs, Pontifex in primo gradu affinitatis lineæ transversæ non semel dispensavit, præci-

pue Innocentius Tertius cum Libonensibus, ut notatur c. *fin. de divort. v. Diana. parti. 8. tr. 1. resol. 68.* Layman l. 5. tr. 10. p. 4. c. 6. n. 7. Et hoc procedit æquè de affinitate ex copula conjugali, quam ex illicita; quia revera vir, & mulier per copulam licitam non magis fiunt una caro, quàm per illicitam; sed propter hoc non nascitur affinitas in primo, *jure naturali*; ergo nec in secundo; ita Rebelus l. 3. q. 15. *conclusion. 2.*

Dicendum præterea, matrimonia affinitatis, in gradu prohibito, nec jure divino naturali, nec positivo esse irrita: prima pars est ex priori numero; Secunda pars ex eo, quia non est ullus scripturæ textus, quo id prohibeatur; ea enim, quæ adducuntur ex *Levitici 8.* evacuata sunt per legem gratiæ, ut dictum est alibi; & constabit amplius ex dicendis infra de dispensatione in hoc impedimento: nec obstat, quod Pontifex in c. *gaudemus*, de divortijs, dicat, *conversos ad fidem*, qui in secundo, vel ulterioribus gradibus contraxerunt, non esse separandos; ergo videtur supponere, separandos esse, qui contraxerunt in primo, consequenter tale matrimonium fore nullum jure naturali, saltem positivo divino; quia jure Ecclesiastico non tenebantur ante conversionem. Et ideo Pontifex requisitus ad dispensandum in primo gradu consanguinitatis, nunquam voluit dispensare. Hanc sententiam probabilem censet Perez de matrimonio d. 28. s. 5. n. 4. sed ex illo textu intentum non probatur; cum aliud non contineat, quam responsum ad id, quod à Pontifice quærebatur, nimirum, an, qui ante conversionem contraxerunt matrimonium in secundo, tertio, vel quarto gradu consanguinitatis, post conversionem separandi sint? & ad hoc respondit negativè. De primo autem, sicut nihil fuit quæsitum, ita nihil etiam ibidem fuit decisum; sic Dicastillo cit. d. 7. n. 223. Diana p. 4. tr. 4. *resol. 70.* cum D. Thoma. 2. 2. q. 154. a. 9. ad. 3.

Dices tamen: Joannes Baptista *Marci* 1235. 6. reprehendit Herodem eò, quod duxisset sui fratris Philippi uxorem; & tamen Herodes fuit gentilis, nec tenebatur lege divinâ, quâ id *Levit. 18.* prohibitum erat; tenebatur ergo lege naturali, l. 2. divina positiva. & ideo illum fuisse reprehensum,

hensum; quia vel duxit uxorem fratris sui adhuc viventis, ut notat Joseph. l. 12. *antiq. c. 9.* Nicephorus, & alij Historici; vel, si defunctus jam erat (ut credit Chrysofomus. *hom. 44. in Matth.*) non tamen erat defunctus absque liberis; habebat enim puellam illam saltatricem, & in tali casu prohibitum erat *Levit. 18.* jure divino in lege veteri.

1236. Præterea not. 1. *aliud esse, querere, an affinitas sit vinculum naturale? aliud, an jure naturali dirimat matrimonium.* Nam hæc separari possunt; sic consanguinitas naturaliter oritur non tantum inter eos, qui nascuntur ex eodem sanguine in primo, sed etiam in secundo, tertio, & quarto gradu, quin ea in his gradibus jure naturali dirimat matrimonium, & concedunt plurimi, & constat ex dictis. Unde dato, quod non tantum ex copulâ conjugali, sed etiam fornicaria naturaliter consurgat affinitas; ex hoc tamen non infertur, quod naturaliter dirimat matrimonium. Prima pars constat, quia vir per carnalem copulam cum Berta, etiam secluso omni jure positivo, naturaliter accedit ad fines, hoc est, ad sanguinem, ex quo descendit Berta, & consanguinei ejus; ita Sanchez *cit. d. 65. n. 4.* cujus ratio est ex dictis. Secunda verò ex numero priori. Hinc, quando in *c. qualiter, & c. de propinquis 35. q. 3.* dicitur, *eodem modo abstinendum esse à nuptiis inter affines, & consanguineos*, ex quo aliqui arguunt: sed inter consanguineos prohibentur nuptiæ jure naturali in primo gradu lineæ rectæ; ergo etiam inter affines: responderetur: eam æquiparationem inter consanguineos, & affines, non esse accipiendam absolute respectu prohibitionis naturalis; sed Ecclesiastica; ut, sicut inter consanguineos jure Ecclesiastico illicitæ, ac irritæ sunt nuptiæ in primo gradu lineæ rectæ, sic etiam inter affines.

1237. Not. 2. verba Pauli. 1. *Cor. 5.* ubi de his personis agit, & ait: *talis fornicatio, qualis nec inter gentes auditur, ita, ut uxorem Patris sui aliquis habeat*; ex quibus aliqui volunt jure gentium, talia connubia vetari: procedere solum de uxore Patris adhuc superstitis; aliàs enim non dixisset hoc delictum nec inter gentes auditum, nec uteretur verbo: *uxoris*; sed vocaret *relictam Patris*. Ex hoc autem, quod

leges dicant, *eandem his personis reverentiam deberi, que parentibus*, non rectè sequi, inter illas affinitatem primis, vel ulteriorum graduum lineæ rectæ idem eodem jure præstare, quod naturalis cognatio liberorum cum parentibus, vel contra. Nam licet præstet *idem*, non tamen præstat eodem jure ex n. 1208. quia in illis reverentiam non æquè fundat jus naturale, ac in istis; hi enim sunt *naturale principium per se liberorum*; non illi, ut per se patet; accedit, quod ejusmodi prohibitiones legum in causa matrimonij valorem spectante, non attendantur ex jam dictis supra.

ARTICULUS III.

De pena contrahentium in gradu prohibito.

Qui sint gradus prohibiti, quibus nimirum stantibus, contrahere prohibitum est lege, ejusmodi contractum non tantum prohibente sed etiam annullante, ex dictis constat: quia tamen non raro contingit, matrimonia contrahi in gradibus prohibitis, vel scienter, vel ignoranter; quaritur. 1. quam penam tales incurrant? eos, qui scienter matrimonium contrahunt in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, jure canonico prohibitis, excommunicandos, denunciandos, & vitandos esse. Clement. unicâ. *Eos, qui h. t. ubi sic statuitur Eos, qui* (divino timore postposito in suarum periculum animarum) *scienter in gradibus consanguinitatis, & affinitatis, constitutione canonica interdictis; aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur: Nec non Religiosos, & Moniales, ac Clericos in sacris ordinibus constitutos, matrimonia contrahentes, refrænare metu penæ ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes: ipsos excommunicationis sententia in ipso facto decernimus subjacere: Præcipientes Ecclesiarum Prælati, ut illos, quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publicè tamdiu nuntient, seu à suis subditis faciant nuntiare, donec situm humiliter recognoscens errorem separentur ab invicem, & absolutionis obtinere beneficium mereantur; per prædicta quoque juribus, quæ sic contrahentibus alias penas imponunt, in nullo volumus derogari.*

Circa presentem constitutionem editam à Clemente V. in Concil. Vienn. not. 1. quod per hanc constitutionem Pontifex non derogat alijs pœnalibus statutis contra nuptias incestuosas, de quibus in authentic. *Incestus, c. de inc. & inutilibus nuptiis*, ut constat ex cit. Clement. unic. *Q. Per prædicta.*

Not. 2. quod pœnam excommunicationis imponat pro sex casibus matrimonij scienter contracti in gradibus per sacros canones prohibitis. 1. contracti in gradibus prohibitis consanguinitatis. 2. affinitatis. 3. contracti cum Moniali. 4. contracti à Religioso. 5. à Moniali. 6. à Clerico in sacris, ut aperte constat ex textu. Ex hoc sequitur, pœnam hujus constitutionis non incurri à contrahentibus matrimonium etiam scienter cum impedimento dirimente, v. g. ligaminis, justitiæ publicæ, disparis cultus &c. Nam pœnæ ultra expressâ extendi non debent.

Not. 3. pœnam excommunicationis esse late sententiæ ipso facto, & jure incurrendæ; constat ex cit. Clement. ibi: ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subiacere; addito præcepto locorum ordinarijs, ut reos tales demittent, & donec satisfecerint, vitari curent.

Not. 4. hanc pœnam statui solum in eos, qui talia matrimonia scienter contrahunt. Et ideo ab hac pœna excusantur nulla ignorantia facti; quia alias nihil operaretur particula *scienter*; imò probabiliter etiam ignorantia quælibet non affectata. Nam quando lex punit scienter aliquid facientem, requirit dolum, & malam fidem. *L. sed etsi. Q. scire. ff. de hered. peti.* ignorantia autem etiam vincibilis dolum excludit; Suarez de censur. d. 23. s. 5. à n. 13. dixi: non affectata. Nam affectata æquiparatur scientiæ; qui enim vult ignorare, jam intelligit fieri posse, ut simpliciter non ignoret. Ignorantia autem juris, ab allegante illam, probari debet; quia non præsumitur, si sit juris clari, ut diximus in 1. decretal. de constitutionibus. In Religiosis autem, Monialibus, vel Clerico in sacris, negat Zoësius h. t. n. 18. ignorantiam sive quoad factum, sive quoad jus posse justam esse, quæ tamen si probabilis aliquo casu sit, excusabit.

Tom. II.

gloss. in dict. Clement. unic. *V. contrahentes.*

Not. 5. quod hanc pœnam non incurrat contrahens cum ea, quam falsò putat suam consanguineam (quia non punitur sola voluntas, sed opus cum effectu c. si verò 3. de sent. excommunicat.) aut sola sponsalia de futuro; quia constitutio dictæ Clementinæ loquitur de Matrimonio, quæ, cum pœnalis sit, extendi non debet.

Not. 6. si quis bonâ fide contraxit ejusmodi matrimonium, & postea, re cognita, pergat eodem uti, illum non incurrare cam pœnam. Hæc enim imponitur pro contractu formaliter incestuoso, qui in dato casu non adest; nam de rigore juris aliud est, *matrimonium contrahere*; aliud *in contractu perseverare.*

Not. 7. quod mulier sæcularis contrahens cum ordinato, vel Religioso non incurrat dictam excommunicationem; quia lata est solum in contrahentes ordinatos, vel Religiosos, & in contrahentes cum Monialibus, vel Monialem contrahentem.

Not. 8. non requiri ad incursum hujus pœnæ, quod matrimonium sit consummatum; sed sufficere contractum, ut constat ex cit. Clem. ibi: *qui scienter contrahere matrimonialiter non verentur.*

Quæritur 2. an pœnæ statuti in liberos eorum, qui clandestinè, ac nulliter matrimonia contrahunt in gradu prohibito, licet impedimentum ignoraverint, afficiant liberos contrahentium clandestinè, cum nullitate matrimonij, ex quocunque impedimento dirimente inducta? sed ad hoc jam constat ex dictis à n. 705. ubi de pœnis matrimonij clandestinè contracti, statuti tam in contrahentes, quam eorum liberos, & assistentes matrimonio clandestino.

Quæritur 3. an valeat consuetudo matrimonij contrahendi in gradu prohibito; atque adeo: an consuetudo tam efficax sit, ut, qui jure canonico inhabiles sunt ad matrimonium, habiles reddat? Affirmandum videtur ex c. super eo. 3. de Cognat. spirit. ibi: *si de consuetudine haberetur, quod talia conjugia (nimirum inter liberos compatrum) sustineantur, & permittantur, tu in eadem Ecclesia hujusmodi conjugia dissimulare poteris.*

Contrarium videtur dici in c. quod super. 5. de consang. ubi Innocent. III. Rossanensis

Ss

1241

nenſi Archiepiſcopo, qui Pontifici ſignificavit, quosdam in ſua diceceſi in gradibus prohibitis matrimonia contrahere, *hoc ſibi licere de antiqua conſuetudine aſſerentes*, reſpondit: cum in ſacris Canonibus gradus conſanguinitatis ſint diſtincti, & per eoſdem inhibitu, ut nullus infra ſeptimum gradum conſanguinitatis lineam attingentem ſibi audeat in matrimonium copulare, ipſum ne infra gradus eoſdem contrahatur, debere publice inhibere, & præſumptores punire, *non obſtante conſuetudine, qua dicẽda eſt potius corruptela.*

1243. Propter hanc, & ſimiles juris antilogias ſaltem apparentes, Canoniftæ varijs modis aut exponunt, aut conciliare ſtudent prædictos canones; & de vi, ac efficacia conſuetudinis in eodem ad inducendum novum, vel abrogandum jus antiquum ex legibus vel ſacris canonibus inductum, in diverſas, & varias diſcedunt opiniones, ut patet in præſenti materia apud Sanchez. l. 7. hic d. 4. Pontium l. 6. de impedim. c. 4. & ſeq.

1244. In hac re certum eſt 1. quod conſuetudo vim habeat abrogandi leges humanas. 1. ſi ſit legitime inducta. 2. ſi ſit legitime præſcripta, ut conſtat ex *c. ſin. de conſuetud.* ubi generaliter ſtatuitur, vires habere conſuetudinem ad derogandum legi; quod ſaltem de legitima, vel legitime præſcripta, accipiendum.

1245. Certum pariter eſt. 2. quod non omnis conſuetudo jus novum faciat, aut vetus abroget. Nam 1. nulla conſuetudo facere poteſt licitum, quod jure divino naturali, vel poſitivo eſt illicitum, ut tenet communis cum Baldo in l. 2. c. de uſuris, & habetur *c. Mala conſuetudo, c. veritatem, c. conſuetudinem. diſt. 8. c. Uſus. diſt. 11. c. Cum tanto. de conſuet.* & ratio eſt, quia licet aliqua conſuetudo, ut dictum eſt, habeat vim abrogandi legem humanam ex *c. ſin. de conſuet.* at hoc, vi huius, non habet, niſi fuerit rationabilis, ut ibidem habetur; & c. 3. de eo, qui mittitur in poſſeſſionem, ibi: *ſi laudabilem* (nimirum conſuetudinem) *eſſe conſtitit*: at, facere, quod jure divino, naturali, vel poſitivo illicitum eſt, nequit eſſe rationabile, vel laudabile.

1246. Certum videtur. 3. conſuetudinem non habere vim abrogandi legem humanam, ſine conſenſu Principis, ſaltem tacito, ſeu

legali in eo conſiſtente, quod edita conſtitutione, vel canone generaliter decretet, aut concedat ei, vim tollendi legem ſuam, ſi legitime inducatur. Nam ejusdem poteſtatis eſſe debet, legem condere, & abrogare; *L. ſed & ea. L. de quibus. ff. de Legibus.* Cum ergo nullus, niſi Princeps, vel alius de conſenſu ejus, legem poſſit condere; etiam nullus, niſi Princeps, poteſt legem conditam abrogare.

Et colligitur ex *c. conſuetudinis. diſt. 11.* ubi ſic habetur: conſuetudinis, utique longavi non vilis authoritas eſt, *ſed non uſque adeo ſui valitura momento, ut rationem vincat, aut legem;* ex quo videtur, conſuetudini non negari omnem vim legem vincendi; ſed tantum eam, quam habeat *ex ſui momento*, ſeu naturam ſui; igitur non eam, quam habeat aliunde, nimirum ex adjuncto Principis conſenſu.

Certum videtur. 4. hunc Principis conſenſum non addeſſe, ne quidem præſumptivè, quando conſuetudo eſt contra jus divinum, naturale, vel poſitivum. Talis enim conſenſus eſſet præſuſus irrationabilis, & potiùs conſenſus in corruptelam, quam in uſum laudabilem.

Certum videtur. 5. conſuetudinem facti (quatenus eſt frequentia operandi liberè eodem modo) non propterea deſtitit conſenſu Principis ſaltem legali, quod fit contra legem ſuam; nam etſi verum fit, quod, ut conſuetudo vim habeat, *rationabilis eſſe debet* (cum impoſſibilem, & turpium nulla ſit obligatio, ut aliàs dictum eſt) hoc tamen non ita intelligendum eſt, quali irrationabilis fit eo ipſo, quo eſt contra legem, cui contrariatur; ſic enim nulla conſuetudo rationabilis eſſet, quæ ageret contra legem, quam abrogare vellet.

Quando igitur dicitur, ut conſuetudo habeat vim abrogandi legem, *debere rationabilem eſſe*, ſenſus eſt, debere talem eſſe, quæ aliàs, & ſeculſa tali lege, quam abrogare quarit, non continet turpitudinem vel deformitatem, ſive contra legem divinam, & naturalem æquitatem, ſeu rationem; & propter frequentiam uſus tantum temporis digna ſit, quæ pro lege habeatur ſublata contrariâ; ita Sanchez *cit. n. 14.* ubi ait, *numquam cenſeri conſuetudinem rationi diſſonam, niſi juri divino, aut naturali refragetur*, his poſitis:

Quæſtio

1248. Quæstio est, an ea consuetudo, quam leges, vel sacri canones, reprobant, & corruptelam potius, quam consuetudinem appellent, vim habeat abrogandi legem à Principe constitutam? ante responsum nota, *corruptelam* à Pereyra in *Elucidarij* l. 1. *elucidat.* 9. n. 252. definiti: *perversam consuetudinem*, sacris canonibus inimicam. c. *Cum venerabilis. de consuet.* c. *Cum decorum. de vita & honest. Cleric.* quo posito, stando in hac definitione *corruptelæ*, probabilius videtur, legem humanam abrogari non posse consuetudine facti, quam Princeps; talis legis conditor, aut ejus successor reprobatur tanquam corruptelam. Ratio est 1. ex n. 1246. quia talis consuetudo nequit habere verum consensum Principis, etiam legalem; & sine hoc, consuetudo vim abrogandi legem habere non potest. Deinde: *lex debet esse honesta*, directèque intendere bonum communitatis, quam ligare, seu obstringere debet. Nam in eo essentialiter differunt, *ius jurisdictionis gubernativa*, quod legislativam includit; & *ius proprietatis*, quod justitiam commutativam fundat; quod illud, respiciat directè bonum subditorum, & communitatis, quam gubernat; istud commodum habentis proprietatem: hoc autem intendere non potest consuetudo *perversa*, seu *morum corruptiva*, qualis est, quæ lege Principis reprobatur tanquam corruptela; ergo.

1249. Confirmatur; quia consuetudo dissolvens rationi, non est consuetudo rationalis, prout requiritur, ut consuetudo habeat vim abrogandi legem, ex n. 1245. sed consuetudo, quam Princeps, vel leges reprobant tanquam corruptelam, non est consuetudo rationalis, prout requiritur. Nam ad hoc requiritur, ut non sit dissolvens rectæ rationi naturali, ex n. 1245. consuetudo autem, quam jura improbant, dissolvens rationi teste gloss. in c. *fin. consuet.* *V. Rationalis*; ac Innocent. ibid. in fine; nam corruptelam morum naturalis ratio, quæ recta est, approbare non potest; & ita tenent Goffredus, Hostiensis, Abbas, Ancharan: Sylvester, Rosella, Covar. Henricus, & alij apud Sanchez l. 7. *hic d.* 4. n. 13. in fine.

1250. Ex dictis colliges. 1. consuetudinem, quam jura potius *corruptelam* nuncupant, *Tom. IV.*

nec novum jus inducere, nec antiquum abrogare posse. Ratio est ex dictis. Nam consuetudo, quæ eam vim habet, pro lege haberi debet; *L. de quibus. §. 1. ff. de Legibus.* at consuetudo, quam jura corruptelam potius nuncupant, pro lege haberi non potest. Lex enim debet esse in finem boni communis, nimirum ad perfectionem non corruptionem reipublicæ humanæ; per bonos, & honestos mores gubernandæ; quod habere nequit corruptela; & consuetudo perversa.

Colliges 2. per consuetudinem, quæ plus nocet bono communi, quam profit, nullam legis humanæ prohibitionem abrogari posse. Nam cum id non habeat ulla consuetudo, nisi pro lege habenda sit; pro lege autem haberi non possit, quæ bono communi plus nocet, quam profit (cum sic potius corruptela sit, & eo ipso careat titulo *necessitatis*, quæ requiritur, ut lex justa sit) eo ipso carebit vi, ac efficaciâ, ullam humanæ legis prohibitionem abrogandi.

Ex hoc colliges. 3. nullâ consuetudine, Laicos posse acquirere jurisdictionem in Clericis; cum de jure divino, saltem tradito, sint exempti, ut docet Carolus Antonellus de Regimine Ecclesiæ Episcopalis. l. 1. c. 1. §. 2. n. 31. ex c. *si Imperator. dist.* 96. c. *Relatum.* 11. q. 1. c. *quæquam; de censibus in 6.* citans pro se Bonacin. *de legibus.* 10. q. 2. p. 1. §. 1. n. 3. Dianam p. 5. *tr.* 1. *resol.* 1. &c. id, quod pluribus ostendimus l. 1. *tit.* 2. *de constitut.*

Colliges 4. omnem illam consuetudinem, contra legem humanam, corruptelam dei, quæ est contra legem humanam præcipientem, & prohibentem, quod jure divino, vel naturali præceptum, vel prohibitum est. sic Antonellus cit. n. 30. & constat. ex n. 1245. dixi: *illam omnem*; ut innuerem, *sed non solam*, propter dicta in præmissis; & ratio est, quia etiam consuetudo immediate opposita soli humanæ legi potest esse morum corruptela.

Nota autem, consuetudinem aliam esse secundum; aliam, præter; aliam, contra jus, seu legem. Consuetudo secundum jus, non est consuetudo juris (quæ definitur, *ius moribus constitutum, quod pro lege suscipitur. L. de quibus. §. 1. ff. de Legibus*) sed consuetudo facti, seu potius observantia juris

juris præexistentis, quin sit inductiva novi juris, & definitur, *frequentia actuum humanorum, similitum tempore continuata*, ut ait Suarez l. 7. de legibus. c. 1. n. 4. Talis est consuetudo audiendi sacrum die festo. Et quia fundamentum ejus est lex, quam imitatur, & exequitur, abrogata tali lege censetur etiam abrogata consuetudo illi nixa, quæ non est dispositiva, sed solum imitativa juris.

1255. Consuetudo præter legem est, per quam jus novum introducit. Unde, cum c. 5. dist. 1. dicitur: *consuetudo pro lege suscipitur, ubi lex deficit*, de consuetudine præter legem intelligendum est; cum patrem cum Lege vim habeat. L. de quibus. 32. cum sequentibus ff. de Legibus. consuetudo demum contra legem est, per quam lex, seu jus præexistens, tollitur, & abrogatur, de qua mentio est. c. fin. h. r. His addunt aliqui divisionem consuetudinis in canonicam, & civilem, quæ divisio sumitur à materiâ, circa quam versatur, de qua divisione Pirhing. n. 7. de consuetudine.

1256. Hinc colliges 5. quando consuetudini, quam jura reproband, & potius corruptelam vocant, negamus vim, & efficaciam abrogandi legem humanam, nos loqui de illa, quæ est contra legem; ac tandem idem censendum de tali consuetudine præter legem, quoad vim novi juris inductivam, *quamdiu talis est*, nimirum perversa, & corruptiva: dico: *quamdiu talis est*. Nam, cum in rebus humanis, pro varietate temporum, maxime non raro fiant mutationes morum, & quæ aliquo tempore proficua fuerunt adeo, ut etiam lege condita præciperentur, successu temporis non modo non proficua, sed obstura potius videantur, (& ideo etiam leges antiquæ vel aboleantur, vel restringantur ab amplitudine prohibitionum, ut manifestum est in ipsis quoque legibus Ecclesiasticis, etiam circa impedimenta matrimonij, ut hæcenus visum est) ideo, quæ diximus de consuetudine, quam jura reproband, rectè intelligenda veniunt solum pro casu, quo consuetudo talis manet perversa, & corruptela.

1257. Si autem quæras, quando censeri possit, aut debeat, quod consuetudo, quam Principes, vel jura tanquam perverfam, & potius corruptelam nuncupabant, talis esse desierit? R. id explicari posse per doctrinam,

quam tradit P. Sanchez l. 7. hic d. 4. n. 14. in medio: *tunc consuetudinem censeri rationi congruentem* (consequenter rationabilem, ut habeat vim inducendi, vel abrogandi jus humanum, juxta c. fin. de consuet. atque adeo desisse perverfam esse, & morum corruptivam) quando de eadem re seu materia, (de qua est consuetudo) iusta esset lex denuo edita, priori mutata, si aliqua sit; vel minime mutata, si quæ nondum existat. Rationem dat: quia cum consuetudo (præter aut contra legem) debeat vim legis habere, eadem honestate illam convelli opus est, ac sufficit, quam lex ipsa postulat: sic ille.

Ex quo colliges. 6. nisi consuetudo, temporum successione inducta, talis sit, ut id, de quo ipsa est, merito possit sub novam legem cadere, si antè nulla fuit; vel si aliqua lex ei contraria fuit, merito mutari possit, eam consuetudinem, his carentem, manere inefficacem, ut novum jus inducat præter jus præexistens; vel vetus abroget, quod præcittit. Ratio est ex dictis. Et ex his tandem concluditur, consuetudinem contrahendi matrimonia in gradu consanguinitatis prohibito, non posse reddere habilem ad matrimonium validè contrahendum (post. c. quod super, in n. 1242. ubi talis consuetudo dicitur potius corruptela) nisi ubi lex ea, matrimonia irritans, ex causa, de qua n. 1237. merito mutari possit ita (nimirum causis sic suadentibus) ut contra priorem denuo alia induci possit.

Ex hoc etiam in concordiam reduci possunt c. super eo; & c. quod super, de quibus n. 1242. Nam in c. super eo, solum dicit Pontifex: *quod Episcopus, si per neutrum eorum ad comparitatem ventum fuerit, & ejus Ecclesie Metropolitanæ, & aliarum circumpositarum consuetudo id habeat, dissimulare poterit, non contradicendo, sed nec assensum præbendo*, ne propter matrimonia, quæ liberi comparum inter se contrahunt, hujusmodi conjugis Episcopalis assensus, in exemplum assumatur: at in c. quod super, longè aliud dicitur: nam ibi universaliter reprobandur consuetudo contrahendi matrimonia in gradibus prohibitis; quia, ut notat gloss. non obstante, tempore Alexandri III. à quo est c. Super eo, crimen non erat, matrimonium inter eas personas contrahi, ex usu Ecclesie solum

solum privata; secus tempore posteriori, quo Innocentius III. hanc consuetudinem, etiam in Ecclesia privata; reprobavit; fortassis etiam ideo, quod illa consuetudo semper latius serpebat, usu vulgi, imò & aliorum, qui de vulgo non sunt, quibus quilibet contra jus humanum licitum suadet, tristissimum illud: sic est in usu, sic est consuetudo, & praxis, non attendentibus. quid fieri bono communi expediat, sed quid fiat, quocunque tandem fine fiat? quæ ratio pessima est; & gravissimè reipublicæ noxia, ut offendit evidens experientia, quæ innumeris casibus demonstrari potest, & cuique patet.

1160. P. Wagnereck in c. quod super, ait, hoc capitulum per quod reprobatur consuetudo illa; loqui de consuetudine irrationali, nec tempore legitimo præscripta. qualiter requiritur ex c. fin. de consuet. capitulum autem super eo, de consuetudine; quæ tunc rationalis erat; & sic neutrum alteri contraire. Illud ad extremum hic annotandum venit; quod annotavit Pon-

tius l. 6. de impedim. c. 5. n. 3. discrimen esse inter consuetudinem, & præscriptionem; quod consuetudo contra legem humanam induci possit actibus à principio injustis, & cum mala fide; præscriptio autem introduci non possit, nisi actibus à principio justis, & cum bona fide; quod mala fides in consuetudine purgari possit (imò in quantum est præcisè contra legem, quam abrogare quatit, in consuetudine non curetur ex n. 1251.) in præscriptione autem secus; quia expresso jure c. fin. de præscript. requiritur; ut, qui præscribit, in nullâ temporis parte rei habeat conscientiam alienam; ubi Wagnereck in Exegesi ad hoc c. ait, hic expressè; ac directè reprobari præscriptionem cum mala fide in foro tam civili, quam canonicò; quia Pontificem in his, quæ concernunt animam, sive peccatum, jus civile tollere, aut abrogare posse, apud Catholicos est extra controversiam, & habetur in c. Novit. de Jur. dic. sic ille.

QUÆSTIO XV.

In Tit. XV. De Frigidis, & Maleficiatis, & Impotentia coeundi.

1161. Super hoc titulo scribit Wagnereck, si ejus materia in praxi disceptanda occurrat (quod rarius evenit) apud Casitas facile reperiri, ubi de impedimento Impotentia agunt; nec parum pendere à Judicio medicorum in hac materia consulendorum; quæ autem purè Canones decernunt, difficultatem non habere. his tamen non obstantibus judicamus, hunc titulum secundum sacros Canones à nobis explicandum propter ea, quæ non raro in sacris Consistorijs occurrunt.

ARTICULUS I.

Quid, & quotplex sit Impotentia?

1162. Impotentia, prout hic accipitur, est inhabilitas nascens ex defectu potentia vel ad generationem prolis, vel ad carnalem copulam. Impotentia ad generationem prolis vocari solet sterilitas, seu infecunditas, nec obstat valori veri conjugij, si adsit potentia ad carnalem copulam, hoc

est; ad penetrandum vas naturale foeminae, & semen generationi aptum intra illud effundendum, vel recipiendum; ex quo per oppositum constat, quid sit impotentia ad copulam. Hæc alia est ex parte viri, ut si sit nimis frigidus (puta cum ex defectu caloris naturalis coire non potest) aut nimium calidus (naturâ nimirum citius, cum primum foeminam tangit, semen effundente, quin ad locum debitum perveniat) aut ex alio vitio vel defectu copulam perfectam exercere non potest; vel ex parte foeminae, ut si sit nimis arcta in vase naturali, consequenter non penetrabili, in tantum, ut intra se recipiat virile semen. Et hoc provenire potest vel ab intrinseco, seu à natura (puta, debilitate, frigiditate, vel nimio calore) quæ naturalis dicitur; vel ab extrinseco, & accidenti, nimirum aliunde, v.g. ex maleficio, castratione &c. Deinde talis impotentia potest esse vel absoluta in viro, respectu omnium; aut respectiva, nimirum respectu unius, vel plurium foeminarum;